



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs

Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII

S. Ignatius Mart. 1. Februarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)

SIGNATIVS Mart.

1. Februarij.

1. Ignatius tempore Christi vixit puer innocen-
tissimus, quem Christus in exemplum populo, suis-
que discipulis proponens, dixit: Nisi efficiamini sicut
paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. c.
18. v. 3. DOC. Et tu esto Innocens, ac humilis, Christo-
que gratus eris.

2. Fuit S. Iohannis Evangelista Discipulus, & Virtutis
hæres: hinc Tertius Antiochenus Episcopus est crea-
tus, vbi sic Dei honorem zelauit, vt Deifer Ignatius
vocaretur. Ab eius cultu, nec bla. diijs nec minis Tra-
iani Imperatoris abstrahi potuit. DOC. Zela & tu ho-
norem Patris tui DEI si verus es eius filius.

3. Captiuus Romam mittitur, in itinere multa à
militibus patitur, de quibus scribit ipse. Pugno cum
bestijs in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum de-
cem Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt,
quibus cum benefeceris, peiores fiunt. DOC. Patere &
tu libenter à tuis Leopardis, Amicis & Inimicis; sed
pro Christo.

4. Inter vincula, pressurasque clamat: Nunc inci-
pio Christi esse Discipulus, nihil de his, quæ videntur
desiderans vt IESVM Christum inueniam. Ignis Cru-
cifixæ, contractio ossium, membrorum diuisio, & to-
tius corporis contitio & tota tormenta Diaboli, in me
veniant, tantum vt Christo fruam. DOC. Sic fortis esto
Christi miles, ac gloriosus eo fruens.

5. Cum damnatus esset ad bestias, audiretque Leo-
nes mox se inuasuros, exclamat intrepidus: Frumen-
tum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis
mundus inueniar. Et verò inuentus est, quia in corde
dilatati Martyris, nomen IESV repertum est
inscriptum. DOC. Sic & tu
ama IESVM.